

DE
LIBRIS SYMBOLICIS
IN GENERE.

§. 1. Quandoquidem nunc scripturæ sacræ Articulum repetivimus , & ex libris Symbolicis fidei Articulos sumus repetituri Quæritur i. Annè præter hanc Scripturam Authoritates Patrum sint attendenda? R. si consentiunt, tunc explicationi serviunt , sed nequaquam sacræ scripturæ sunt æquiparandi , quod enim Augustinus lib. 2. contrà Cresconium Grammaticum c. 32. Thom. 7. col. 241 scribit: literas Cypriani , non ut Canonicas habeo , sed, eas ex Canonicis considero , & quod in eis divinarum scripturarum Authoritati congruit cum laude ejus accipio, quod autem non congruit pace ejus respuo : Idem de reliquis valet. Et quia ut plurimum cum supercilie Pontificij ad scholasticam Theologiam provocant, quæ cœpit circa Annum Domini 1050 probè hic notandum Nicolai Clemangis Parisiensis & Archidiaconi Bajocensis, qui vixit Anno Christi 1416. effatum ; Doctrina , ait, Scholasticorum eandem habet naturam cum fructibus circa stagnum Asphallitis , aut Sodomiticum crescentibus, qui & si externè speciem quandam jucundam aspectu præbeant, tamen internè tantum cinis & pulvis sunt. Interim tamen prodest cognitio horum scriptorum illi , cui Scholasticis armis depugnandum , ne plicis aliorum involvatur.

§. 2. Quid de scriptis Oecumenicis & Catholicis statuendum ? R. Symbolum dicitur ἀπὸ τῆς συμβόλεως à conferendo. Et vel notat collectionem pecuniæ , seu hospitalitatis confessationem, (Videatur Tertullianus de præscriptionibus, unde apud Terentium in Eunicho est : Symbolum dare , & apud Plutarchum , & Laertium huic opponitur ἀσυμβόλως αἰδειπνεῖν) Vel notat signum castrense , vel tesseram (die lœse). Sensu Ecclesiastico vero nihil est aliud , quam ὑποτύπωσις ὑγιανότητος. Unde à Doctore Zachariâ